

247
(101)

NOBILIVM QVAESTIONVM
ETHICARVM DECAS X.

De
AMICITIA.

Quam
ANNUENTE GRATIA DIVINA
In Illustri VVittebergensium Academia,
SUB PRÆSIDIO

M. HENRICI VELSTENII,

Philos. Moralis Prof. Publ.

Defendendam suscipiet

HERBORDUS BARTOLDI
Hannovera-Saxo.

Ad diem 13. Septemb. horis locog^{is} consuetis.

Ecclesiast. 6.

*Amico fideli nulla comparatio, & non est digna
ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei
illius. Amicus fidelis medicamentum vite & immor-
talitatis, & qui timent Dominum, inveniunt illum.*

VVITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS GORMANNI,
ANNO M. D. CX.



*Viris spectatissimis, Prudentissimis, Virtute
& rerum Politicarum usu pre-
stantissimis,*

**Dn. HERBORDO von Wintheim
Dn. HERMANNO BARTHOLDI.
Dn. DIRICO SALGEN.**

**Illi, Patricio Hannoverano, Avo meo,
nullo non observantiae genere prose-
quendo :**

*Isti, Reverendissimi & Illustrissimi Principis
ac Domini, Dn. HENRICI JULI Postulati
Episcopi Halberstadensis, Ducis Brunovicen-
sis & Lunaburgensis &c. Quaestori, Parenti
meo omni filiali obsequio venerando,
Huic, ejusdem Illustris. Principis Proqua-
estori Affini & Fautori meo since-
re colendo.*

*Exercitium hocce Ethicum
in grati animi signum
& studiorum meorum
testimonium inscribere
Volui, & debui*

HERBORDUS BARTHOLDI Respond



QVÆSTIO I.

Quid sit Amicitia & quotuplex?

DEcorati ipsimet virtutibus, inquit Piccol:
rectoq; iudicio præditi, cum inspicimus in
alterius animo per varias actiones eundem
virtutis splendorem, illum, ut bonum no-
stroq; habitui consimilem approbamus, be-
nevolentiaq; prosequimur: quæ benevolen-
tia crescens appetitionem parit objecti, ut & desiderium con-
ferendi beneficia in illud, ex quibus dilectio constituitur. Et
quia finem amicitia, qui est vita conjunctio, assequi non pos-
sumus, nisi alter quoq; nos amet, idcirco per congruentes vir-
tutum actiones efficere nitimur, ut idem ab altero de animo
nostro fiat iudicium, ut eadem ratione ipse nos quoq; ama-
re incipiat, qui mutuus amor varijs actionibus temporisq; diu-
turnitate confirmatus in amicitiam transit, adeo ut à cog-
nitione honesti ad benevolentiam, à benevolentia ad amorem,
ab amore ad amicitiam fiat progressio. Piccol. grad 7. c. 4.
Postquam igitur hætenus ipsas virtutes morales contempla-
tifuimus: nunc tractationem de amicitia, quæ uti ex dictis
constat, virtutum fructus maximè principalis, hinc minimè
omnium prætermittendam putamus. Hanc igitur nos hæc
vice suscepturi, ad propositam questionem strictim & breviter
respondemus. Et quidem I. cum Aristotele dicimus, quòd a-
micitia sit benevolentia mutua & manifesta vel virtu-
tis vel utilitatis vel voluptatis causâ concepta, 8. Nic.

A 2

C. 2.

c. 2. *Vel ut alij:* Amicitia est proæretica cōjunctio amico-
rū inter sese, orta ex boni ipsius cognōti approbatione
& appetitione ejus adipiscēdi & fruendi gratiā. Dicimus
v. amicitiam proæreticam conjunctionē ad excludendā
conjunctionem naturalem, quæ suo ambitu amicitiam non
comprehendit. 2. Causa efficiens amicitia est cūm cognitio,
persecutio boni in alio existētis, sive illud
sit verū bonum, sive apparens, sive honestum, sive utile, si-
ve jucundum. 3. Finis est boni cogniti adeptio & fruitio.
Nulla enim amicitia vel initur vel conservatur, nisi eo fine,
ut amici bonum in alijs amicis cognitum approbatum & desi-
deratum adipiscantur, eoq; cum voluptate quādā persuan-
tur. Denique apud Aristotelem l. d. amicitia triplex
reperitur distributio, quarum prima desumitur, par-
tim à causa efficiente, partim finali amicitia, quæ est τὸ
ἀγαθὸν φιλητὸν bonum amabile. Hoc verò cūm triplex sit,
honestum, utile & jucundū; hinc etiam fit, ut amicitia alia
honestæ sit, alia utilis, alia jucunda. Alterum desumitur ex
adjuncta dignitate personarū in amicitiam cocuntiū,
quæ cūm sint æquales vel inæquales, hinc ab Aristotele alia
amicitia ἐν ἰσότητι in equalitate; alia ἐν ὑπεροχῇ in quādā
eminentia & excellentia esse constituitur. Tertia duci-
tur à differentijs societatis humanæ. Hæc enim cūm sit
vel privata vel publica; hinc etiam amicitia aliadicitur pri-
vata, alia publica seu politica. Goclenius disput. Eth.
16. pag. 104. & seq.

Q U Æ S T I O II.

An Amicitia spiritualis quæ est propter pietatem,
differat ab amicitia civili, quæ est pro-
pter honestatem?

Sic

Nulla est amicitia
sine amore:
sine a
sine in alio cognitum
sine approbatione
sine sit verum bonum,
sine sit
sine sit
Eth. pag. 100
seq.

16. pag.

Sic statuit Keckerm. hanc potissimum adductus ratione:
 Virtus est vel spiritualis vel moralis, uti & nos in auctuario
 nostro secundo harum questionum Ethicarum fusius deduce-
 mus. Ergo & amicitia, qua fructus virtutum, uti jam di-
 ximus, maxime principalis erit vel spiritualis vel moralis.
 Addit tamen idem Keckerm. quod harum una non tollat
 alteram, sicut honestas non tollit pietatem, aut pietas hone-
 statem: & possit esse aliquis alicui amicus moraliter, cui non
 sit amicus spiritualiter, hoc est, possit conspirare cum aliquo in
 exercitio honestatis, cum quo non conspirat in exercitijs pie-
 tatis. Proinde, inquit idem, quemadmodum doctrina Theolo-
 gica revera distinguitur ab Ethica: ita nemo negat differre a-
 micitiam civilem ab amicitia spirituali & Theologica. Ke-
 cker. in præcognit. Syst. Ethic. pag. 7. & lib. 3. syst. E-
 thic. cap. penult. pag. 361. *Ethica etsi differat à Theologia, tamen
 cum ea neuhquam pugnat; nam boni mores non repugnant pietati,
 sed potius ad pietatem animum hominis præparant.*
 Nos uti hæc maximam partem non improbamus;
 ita nonnulla aliquid limitationis admittere posse in i-
 pla disquisitione ostendemus.

QUÆSTIO III.

An Amicū ab amico sit necessariō redamandus?

Cum certum sit ad constituendam amicitiam requiri,
 mutuum reciprocumq; amorem, non immeritō queritur, an
 sit necesse, ut qui amat, à re amata ametur? Et quidem
 hic jure optimo quispiam suspicabitur, id necessari-
 um esse.

¶

I. Quia

1. Quia cum amans ob similitudinem amet alium, est necesse, ut ob eandem similitudinem vice versa ab altero ametur.

Piccol. grad. 7. c. 7. 2. Amantem non redamare genus est iniustitia, cum probitate sumoperè pugnans: Idem ibid.

At nihil remuneratione benevolentia, nihil vicissitudine officiorum jucundius Cic. in Læl. nihilq; minus hominis, quam non respondere amore ijs, à quibus provocère. Epist. 1. ad Brut.

3. Qui verè amat seipsum tradit amato, à quo non potest non amari, cum unus quisq; per naturam amet ea, que sunt sua. Piccol. l. d.

Verùm enim verò ipsa communis experientia luculenter attestatur, amare multos, & non amari: adeq; exinde tam frequentes hac de re extant amantium querimonia.

Pro decisione notandum, amorem hoc in loco dupliciter considerari & unum genus amoris ab altero longè distingui. Datur enim primò amor lascivus quærens jucundum: datur amor quærens utile: datur denique amor quærens honestum. Si loquimur de amore quærente utile vel jucundum, non est necesse, ut qui amat, redametur: potest enim unus alteri jucunditatem vel utilitatem præbere, at non vice versa. Si verò vir probus honestè amatur, tenetur redamare, ac ut probus necessario & per se alterum amat; ex eventu tamen potest secus contingere. Vide plura de hac quæstione apud Piccol. Grad. 7. cap. 7.

Q U Æ S T I O I V.

An Amicitia etiam inter malos esse possit?

Quoad delectationem aut commodum tum probis cum malis, tum malis inter se amicitia quod intercedere, longè notius est, quam ut operosiore explanatione indigeat

digeat. 7. Nicomach. c. 4. Caterum honesta amicitia,
que ab Aristotele modo *κρηία* propria; modo *τελεία* perfecta
dicitur amicitia tantum proborum hominum est, neque
ad malos se unquam extendit: 1. Quia hac vera & germana
amicitia fundamentum habet virtutem, quā amor utrin-
que elicitur. Apud malos nullus est virtuti locus. Ergo nec
amicitia ibi locus esse potest. Quo nomine pulcherrimè dispu-
tat Lælius in Dialogo de amicitia, inter conjuratos ve-
ram amicitiam non oriri, propterea quod illi ipsi à virtute sint
alieni. Et alibi Cicero: Cūm, inquit, conciliatrix amici-
tia sit virtutis opinio, difficile est amicitiam manere, si à virtute
defeceris. 2. Vera amicitia veram dilectionem exposcit. Vera
dilectio ad verè bonū tendit, rectumq; iudicium exposcit: ju-
diciū rectum & verè bonum seorsim à virtute & probitate
consistere nequeunt. Ergo. Piccolom. g. 7. c. 4. 3. Vera a-
micitia debet esse firma, fixa & stabilis. Atqui mali non tan-
tūm à se ipsis disident, sed etiam ab alijs. Habent enim ani-
mum fluctuantem, & qui perpetuò velut à vitiorum flucti-
bus torqueatur & distorqueatur. Quemadmodum enim
probitas est semper sibi consimilis; sibi amica, suaq; naturā
amabilis: Ita improbitas sibi est dissimilis, sibimet adversa &
odiosa alijs: Probitas necit; improbitas solvit & dissipat.
Probitas est fidelis; infida improbitas. Illa est grata Deo; hac
ingrata DEO & hominibus. Propterea rectè dixit Seneca:
Solutus sapienter ait, affirmare. Et Plato in Lyfide asserit: Ve-
rum mihi videntur bonos dicere similes esse invicem, & ami-
cos; improbos autem nunquam vel sibi ipsis, vel ~~inconsimi-~~ *invicem*
les esse, sed stolidos penitus & instabiles. Videatur Picco-
lom. grad. 7. c. 4. pag. 578. *Col. 8. Et 5. r. 3. pag. 299.*

QUÆSTIO V.

An vera amicitia sit calumnijs & crimina-
tionibus exposita?

Veram

Veram honestam amicitiam criminationibus mi-
 nimè patere, Philosophorum effatum est Aristot. 8. Ni-
 comach. c. 5. Gol. & Cas. l. 8. c. 4. & 13. Magir. in l. 8.
 Nic. c. 4. & 13. Donald. l. 2. c. 8: pro quo ita pugnamus.
 1. Quia hæc amicitia ita amicos sibi mutuò conjungit, ut cer-
 tent quodammodo inter se officijs, studeantq; quàm plurimis
 se afficere; unde fit, ut nec querelis, nec suspicionibus talis a-
 micitia obnoxia sit. Arist. l. 8. Nicom. c. 13. Donald. l. d.
 2. Nullus ibi quærimonijs locus esse potest, ubi nequid con-
 tracta & confirmata fidei titubet ac fluctuet, usquequaq; ma-
 ximè præcavetur. 3. Neq; facile isti, qui non temerario quo-
 dam ausu confluxerunt; sed longo temporis tractu, longâ atq;
 diligente exploratione & conversatione benevolentiam colle-
 gerunt & amicitiam construxerunt, delatoribus aures pate-
 faciunt, non illorum calumnijs & imposturis circumveniuntur,
 non deniq; ipsi suspicionis veneno, ac si semper aliquid ab amis-
 co violetur, mentes suas inficiunt. Rectè igitur Cicero ad
 Quint. Frat. Vt quisque est vir bonus: ita difficilimè esse ali-
 os improbos suspiciatur. Et Seneca Epist. 3. si aliquem amis-
 cum existimas, cui non tantùm credis, quantum tibi, vehe-
 menter erras, & non satis nosti vim veræ amicitie. Et benè
 Menander.

*Calumnijs quisquis fidem præbet citò,
 Aut ipse mente moribusq; est improbus,
 Aut mente eadem cassus, aut prorsus puer.*

QUÆSTIO VI.

Quomodo oriantur criminationes in amicitijs,
 utilitatis causâ contractis, & quomodo eæ
 dissolvendæ sint?

Amicitia ista, quæ propter utilitatem contrahitur,
 aut est Moralis aut Legitima. Arist. 8. Nicom. cap. 13.
 Moralis

Govl. p. 320.

Moralis est, in qua beneficia communicantur & compensantur non ex pacto, sed ex amicorum benevolentia & arbitrio: itaq; amico munus dat, operam suam gratis locat, hospitium largitur, comitatur, defendit, nullo pacto talionis interveniente. In hac nascuntur criminationes, quando alter, qui beneficium accepit, gratitudine non respondet expectationi ejus, qui beneficium contulit. Etsi enim beneficium conferens, non dixit se Talionis spe facere, tacite tamen sperat: quoniam omnes ferè homines volunt & simulant honestatem, clam tamen utilitatem honestati preferunt. Legitima est, in qua beneficia communicantur certâ lege & pacto remunerandi. Estq; hæc vel stricta vel liberalis. Stricta est in qua beneficij compensatio statim fit. Vocat hanc Aristoteles ἀγοραϊαν Forensensem seu Mercatoriam, quod sicut ementes & vendentes in foro paria paribus statim reddunt; ita tales amici beneficia beneficijs nullâ habitâ invicem fide commutent. Ideoq; & Seneca istiusmodi amicitiam legitimam negotiationem vocat, non amicitiam. Liberalis est, in qua ex pacto ad tempus solutio differtur. Hic verò oritur rixa & controversia, si ad præstitutum tempus solutio non fiat.

Cæterum ad has criminationes dissolvendas via omnium cōmodissima est, ut amicus beneficio affectus, si par referre potest, reipsâ beneficium referat, & verbis profiteatur statim ab initio, se primo quoque tempore, quando & occasio & potestas referendi dabitur, cum favore gratiam relaturum. Quod si verò occasio non dabitur beneficium reponendi, verbis mora erit lenienda, & vel spe certâ futuræ gratitudinis amicus demulcendus, vel confessione imbecillitatis ad condonandum inducendus.

QUAESTIO VII.

B

Amicitia

Amicitia utilis quare inter senes potissimum
existere soleat ?

Col. 303.

Respondemus, id exinde fieri, quod senes naturâ
quasi & proprio ætatis vitio sint φιλοχρηματοι avari ac pe-
cuniæ amantes. Nos senes, inquit Terentius, naturâ ad
rem sumus attentiores: & cum cetera vitia in homine sene-
scunt, sola avaritia in ea juvenescit. Seneca. Senes enim quò
minus ipsis restat via: eò plus colligunt viatici Cicero. Quia
enim non possunt amplius laborare & necessaria sibi procurare,
quemadmodum in juventute: ideò eò magis amant pecuni-
am quia sperant per eam se posse sibi comparare ea, quæ am-
plius proprijs viribus & corporis robore comparare non possunt.

Nonnunquam tamen & juvenes utiliter amicitia-
am colunt, ij nimirum, qui moribus senilibus præditi
& avari facti sunt vel ex conversatione cum senibus vel
coacti paupertate. Aristot. 7. Nicom. c. 3.

QUÆSTIO IIX.

Quare honesta amicitia sit adeò rara ?

Col. 299.

Philosophus 8. Nicom. c. 3. veræ & honestæ amicitias hanc assignat qualitatem, quòd admodum rara
sit: cujus rei nos has adducimus rationes. **1.** Quia om-
nia perfecta, rarissima sunt. Atqui vera & honesta ami-
citia perfecta est. **1.** Quia in illa homines mutuò sese amant
propter se & non propter aliud, cum virtus sit bonum per se,
& virtuosi per se amentur. **2.** Quia est stabilis & firma: quo-
niam ipsa virtus, quæ causa ejus efficiens procreans est, una
altissimis defixa radicibus, quæ nunquam vi labefactari pot-
est, nunquam dimoveri loco. Cicero Philip. 4. Stabilitas
autem & firmitas sunt signa perfectionis; quemadmodum om-
nia imperfecta non sunt diuturna. **3.** In sese complectitur om-
nia

omnia ea, quæ amicis inesse debent: siquidem viri boni non solum honesti, sed etiam utiles & jucundi sunt. Ergo. **Quia** (II)

tantum inter bonos locum habet. Atqui, ut habet Virgilius:

Vir bonus & sapiens qualem vix repperit unum

Millibus è multis hominum consultus Apollo.

Et bene Iuvenalis satyr. 13.

Rari quippe boni vix sunt numero totidem, quot

Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.

Hinc Cicero in Lælio affirmat, raros esse homines, quibus insit causa cur diligantur: adeoque hinc factum, ut omnibus seculis vix tria aut quatuor paria amicorum fuerint reperta.

(III) **III.** Quia non citò contrahi potest; sed temporis diuturnitate indiget, & longâ conversatione nobis ad eam opus est, secundum dicterium illud antiquissimum: Prius aliquot modios salis simul edendos esse, quàm veri amici sese rectè cognoscant. Atque hoc est, quod Cicero ait, tempus adhibendum esse, ut eum, quem in amicitia admittere velis, prorsus cognoscas. Sunt, ait, firmi, stabiles & constantes eligendi, cujus generis est magna penuria, & judicare difficile est, sanè nisi experto. Experiendum autem est in ipsa amicitia: ita præcurrit amicitia iudicium, tollitque experiendi potestatem. Est igitur prudentis sustinere, ut cursum, sic impetum benevolentia, quo utamur quasi aquis tentatis: sic amicitijs, aliquâ parte periclitatis moribus amicorum.

QUÆSTIO IX.

Undenam petenda sit æquitas in compensatione amicitia?

Bene Philosophus 9. Nicom. c. 1. τὸ ἀνάλογον ἰσάζει καὶ σώζει τὴν Φιλίαν, æqualitas & mutuum conservat amicitias, idemque neglectum easdem dissuit. Sic enim & in Politica societate sutori pro calceis compensatio fit secundum æquitas: item textori & reliquis.

B 2

Itaque

Gal. 326e

Itaq; ut docet Aristoteles 5. Nicom. inventus est nummus quasi communis mensura, ad quem omnia referuntur, quiq; omnia metitur. Quomodo autem ἀξία in compensatione amicitiae aestimanda sit, distinctione intelligemus. Nam de beneficio referendo stipulatio inter amicos aut intercessit, aut non intercessit. Si intercessit: is qui prior dat, videtur permittere fidei accipientis, quantum retribuere justum putet: qui verò accipit, si pro beneficio gratiam referre nequeat, merito reprehendendus est; ut Sophista pollicentes se rerum omnium cognitionem & sapientiam tradituros discipulis. Ut igitur in promittendo impudentes sunt avaritiae causa: ita in praestando perfidi, causa impotentiae. Si verò stipulatio non intercessit, tum à dante aliquid in accipientem transfertur, vel ἀπλῶς καὶ δι' αὐτὸν propter ipsum, quia dignus sit: tum is qui accepit, remunerationem spontè suâ facere debet: est enim gratitudo ista virtutis propria. Etsi enim par gratia rependi nequit: at quanta tamen potest, rependatur. Arist. l. d.

QVÆSTIO X.

Cum igitur par gratia καὶ ἀξία amico sit referenda, an omnia omnibus referre conveniat?

Questio hæc ut distinctiùs percipiatur in tres, velut ex isto trunco manantes ramos deducenda est. An filius parenti omnis generis cultum debeat? 2. Utrum amico cuivis benè de nobis merito ἀντιδοτέον; an verò bono viro δοτέον sit? 3. Collatis inter se amicis, quorum alter nullum hactenus beneficium, alter nonnulla, vel uterq; paria contulerit, quibus maximè obligemur.

Ad has quaestiones in genere respondemus, difficile quidem esse, ob circumstantiarum diversitatem exactè hæc definire; certò tamen tenendum, non quavis qui-

quibusvis tribuenda, sed pro honestatis, necessitatis,
 meritorum & necessitudinis varietate mutanda. Ut
 verò κατὰ μέγῃ & singula enucleentur. I. Non omnia pa-
 rentibus tribuenda sunt. Quandoquidem alia debentur pa-
 rentibus, alia socijs, alia benefactoribus: non secus ac Jovi non
 quævis animalia mactantur, non quivis promiscue, sed quæ
 sanguine vel affinitate attingunt, ad nuptias, funera & si-
 milia invitantur, V.g. I. Parentibus debetur τροφή καὶ τιμὴ Al-
 limenta & honor. 2. Senibus ἡμὴν propter aetatem: cujus spe-
 cies sunt assurgere, loco cedere, prima sedes, accubitus, caput
 aperire, deducere, comitari, parentes vocare &c. 3. Socijs
 & fratribus παρρησία, libera censura de omnibus dictis & fa-
 ctis, & κοινότης omnium rerum: 4. Cognatis, tribulibus, ci-
 vibus tribuendum est suum cuiq; κατὰ οἰκιοτήτα καὶ ἀρετήν, pro
 ut quisq; nobis proximus aut vir optimus est, aut officiosissimus.
 Esset itaq; filij stulti officiosè, patri ignaro, quàm Medico gna-
 ro obtemperare malle: aut patrem imperitum potiùs, quàm a-
 lium rei militaris peritū, ad imperium suo suffragio promove-
 re. II. Quin amico de nobis bene meritò potiùs sit gra-
 tia, ὡσπερ δάναιον reponenda, quàm viro bono nondum
 amico, gratificandam, ὡς ἐπιτοπολὺ, quis dubitaverit?
 III. Sic rationi magis consentaneum est, ut amici in
 nos hæctenus multum benefici, quàm vel benevoli tan-
 tum, vel minus benefici, ex beneficentiæ nostræ fonti-
 bus hauriant. Incidere tamen possunt tempora, quæ contra-
 rium jubent: nec enim ferendus esset, qui scurræ, cujus libe-
 ralitate à prædonibus fuerit redemptus, à piratis captum, liberet
 potiùs, quàm Patrem: siquidem δόσις non rarò αὐτὸς αὐτὸς ei cense-
 tur preferenda: imò hæc aliquando negligenda, ut frustra
 prodigus, qui Platonem pecuniâ juverit, Talionem à Platone
 expectet, cum sciat prodigum, in luxuriam & meretricis ad pe-
 cuniam

cuniam profusurum. Aristot. Nicom. c. 2. Donald. disp.
Ethic. 11.

COROLLARIA.

I. Quæ lex in amicitia tenenda? *Respondet Cicero: Hac prima lex in amicitia sanciat, ut neq; rogemus res turpes, neq; faciamus rogati, Et ut ab amicis honesta petamus Et amicorum causâ honesta faciamus, nec expectemus dum rogemur, sed studium semper adsit, cunctatio absit, consilium verum dare gaudeamus liberè, plurimumq; in amicitia amicorum benesuadentium valeat auctoritas.* In Lælio.

II. Anne ergo probandum exemplum Chusai Arachitæ 2. Sam. 16. qui cum pro jure suo in Davidem amicitia illi officiosus esse vellet, alterum nempè Absolonè dolo decepit? *Negat Lamb. Danaus in tractatu de amicitia Christ. pag. 27. Nos distinguimus.*

III. An fædera cum impijs sint licita?
Disting.

4. Quid

IV. Quid habendum sit de affinitate & expeditione Jolaphati cum impio Acha-
bo 2. Chron. 18. & 19?

V. *An rectè dictum ab Epicuro, quæren-
dum amicum, ut si opus sit, habeas, qui ju-
vet: si ægrotes, habeas qui assideat? Resp.
Seneca Epist. 9. ad Lucilium: Longè suavi-
or est amicitia, quæ prodest alteri, quàm
quæ juvatur ab alio. Quærendus ergo a-
micus est, ut habeas cui prodesse possis,
ut habeas, cui tu, si ægrotet, possis assi-
dere.*


SOLI DEO GLORIA.



X 2677027

VD 17







247
101

QUAESTIONUM
UM DECAS X.

De
CITIA.

Quam
GRATIA DIVINA
ebergensium Academia,
RÆSIDIO

CI VELSTENII,

oralis Prof. Publ.
ndam suscipiet
US BARTOLDI
overa-Saxo.

emb. horis locoq, consuetis.
clesiaft. 6.

comparatio, & non est digna
rgenti contra bonitatem fidei
edicamentum vite & immor-
t Dominum, inveniunt illum.

TEBERGÆ
NNIS GORMANNI,
o M. D. CX.

